

## DOMINICA III DE ADVENTU

### Themata sermonis\*

Sermo in tertia dominica Adventus, de epistola beati Pauli: *Gaudete in Domino*.

In primis thema sermonis ad poenitentes, ibi: *In die illa cantabitur canticum*.

Item contra praelatos Ecclesiae et [de] infelici peccatorum ternario, ibi: *Omne caput languidum*.

Item de Incarnatione Verbi, ibi: *Consurge, consurge*.

Item ad corpus defuncti, ibi: *Ecce in increpatione mea*; et ibi: *Moerebunt piscatores*.

### Exordium. Sermo ad poenitentes

1 - *Gaudete in Domino semper*<sup>1</sup>.

Dicit Isaias: *In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion; salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem*<sup>2/a</sup>. Dies est illuminatio gratiae, qua illuminamur, illuminati cantamus canticum<sup>2/b</sup>, de quo Isaias: *Canticum erit vobis sicut vox sanctificatae solemnitatis, et laetitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad Fortem Israel*<sup>3</sup>. *Canticum confessionis est vox sanctificatae solemnitatis*, quia peccatorem sanctificat, in cuius conversione angeli solemnizant. Unde: ‘Gaudium est angelis Dei etc.’<sup>4</sup>. Ex hac solemnitate generatur *laetitia* in peccatoris corde, de quo Isaias: *Occurristi laetanti et facienti iustitiam*<sup>5</sup>, *sicut qui pergit cum tibia*. Tibia est propriae accusationis melodia, cum qua quisquis perfecte cecinerit, in montem Domini, idest caelestem Ierusalem, ad videndum Fortem Israel, Iesum Christum, intrabit. Et ubi cantatur canticum istud? *In terra*, inquit, *Iuda*, idest poenitentium, de qua Isaias: *Erit terra Iuda Aegypto*, “idest mundo”<sup>6</sup>, *in pavorem*<sup>7</sup>. Pavent enim mundani, cum vident iustos cruce poenitentiae crucifigi. Unde dicitur in Luca, de Passione Salvatoris: *Et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*<sup>8</sup>.

Quid poenitentes in cordis laetitia concinant audiamus. *Urbs*, inquit, *fortitudinis nostrae Sion*. “Sion interpretatur specula”<sup>9</sup>, et significat poenitentiam, de qua dicit Ieremias: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines*<sup>10</sup>; et de qua poenitens in Isaia: *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem; et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus*<sup>11</sup>. Quia prosperitas elevat, adversitas praecipitat, ideo dicit poenitens: *Super speculam poenitentiae, gratia Domini illuminatus, sum, stans*, “scilicet firmus”<sup>12</sup>, ‘per diem prosperitatis’<sup>13</sup>, ne cadam a proposito; *et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus adversitatis*, “ut me custodiam ab omni peccato”<sup>14</sup>.

---

\* Il Dottore evangelico non fa menzione in questo Sermone, dei testi dell’Introito e del Vangelo, e si limita a commentare il testo dell’epistola, seguendo il messale della Curia Pontificale. Cf. FRANCESCO COSTA, *Sermoni antoniani e libri liturgici*, in «Atti 1981», p. 139.

<sup>1</sup> Phil 4,4

<sup>2/a</sup> Is 26,1-2

<sup>2/b</sup> Cf. ABSALON SPRICKIRSBACENSIS, *Sermones*, PL 211,247: «Et solet plerumque per noctem mortalis vitae fragilitas designari, sicut scriptum est: ‘Anima mea desideravit te in nocte’ (Ps 41). Et per diem divinae gratiae illuminatio, teste Paulo, qui dicit: ‘Nox praecessit, dies autem appropinquit’ (Rom 13). Nascente ergo Maria quasi aurora quaedam surrexit, quia et nox humanae fragilitatis in ea fuit lucida per gratiam, et dies divinae gratiae quodammodo obscuratus fuit per fragilem naturam».

<sup>3</sup> Is 30,29 (Vg. ... *sicut nox...*; in GLO. ... *sicut vox...*)

<sup>4</sup> Cf. Lc 15,10

<sup>5</sup> Is 64,5

<sup>6</sup> GLO. ORD. et INT., Is 19,1

<sup>7</sup> Is 19,17

<sup>8</sup> Lc 23,48

<sup>9</sup> GLO. ORD., Is 30,19

<sup>10</sup> Ier 31,21

<sup>11</sup> Is 21,8

<sup>12</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>13</sup> Cf. GLO. INT., ibidem

<sup>14</sup> GLO. ORD., ibidem

Bene ergo dicunt poenitentes: *Sion*, idest poenitentia, *est urbs*, quae nos munit et defendit in die prosperitatis, ne elevemur; *fortitudinis nostrae*, quae nos custodit in nocte adversitatis, ne submergamur.

Sequitur: *Salvator ponetur in ea murus et antemurale*. ‘Murus dictus, quia munit’<sup>15</sup>. In muro divinitas, in antemurali humanitas designatur. Salvator ergo ponetur in ea murus, ac si diceret: ‘Fides’<sup>16</sup> Verbi Incarnati est protectio et defensio poenitentium. Unde Isaias: *Sicut aves volantes, scilicet super pullos*<sup>17</sup>, *sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens et liberans, transiens et salvans*<sup>18</sup>. ‘*Sicut aquila provocat ad volandum pullos*’<sup>19</sup> *suos, et super eos volitans*<sup>20</sup>, et ‘*sicut gallina congregat pullos*’<sup>21</sup>, *suos sub alas suas*<sup>22</sup>, sic Dominus Iesus exercituum, ‘idest angelorum’<sup>23</sup>, protegit Ierusalem, idest congregationem poenitentium; protegit, inquam, obumbraculo suae humanitatis; liberat potentia suae divinitatis; transit, cum eos transire facit per mare Rubrum, idest amaritudinem poenitentiae, sanguine suae Passionis rubricatae; salvat, cum introducit in terram promissionis, lacte et melle manantis. Unde ‘dicit ad angelos’<sup>24</sup>: *Aperite portas, scilicet paradisi, et ingrediatur gens iusta, poenitentium, custodiens “evangelii”<sup>25</sup> veritatem*.

Huic ergo genti, canticum sanctificatae solemnitatis cum tibiae melodia cantanti, dicit Apostolus in hodierna epistola: *Gaudete in Domino semper*.

### De epistola missae sermo

2 - [*Gaudete in Domino semper*]. Quod illi non possunt facere, de quibus dicit Isaias: *Omne caput languidum, et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*<sup>26</sup>. ‘In capite praelati, in corde veri religiosi, in planta laici designantur’<sup>27</sup>. Heu! omne caput est languidum. Unde Ieremias: *A prophetis Ierusalem egressa est pollutio super terram*<sup>28</sup>; et Daniel: *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum*<sup>29</sup>. De quorum languore dicit Isaias: *In cunctis capitibus, idest praelatis, eius, idest Ecclesiae, calvitium, et omnis barba radetur*<sup>30</sup>. Ex longa infirmitate et senectute solent capilli defluere, et fit calvitium in capite. Heu! caput nostrum, idest praelati nostri, ex longa infirmitate vitiorum et inveteratione dierum malorum, amiserunt comam, idest Sancti Spiritus gratiam; et omnis barba, idest omnis boni operis vigor et fortitudo, in eis est rasa. ‘Et sic effecti sunt debiles et effeminati’<sup>31</sup>. Unde de eis dicit Dominus per Isaiam: *Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis*<sup>32</sup>. *Omne ergo caput est languidum*.

Sequitur: *Et omne cor moerens*. Nota quod in corde sunt tria. ‘In eo est sedes sapientiae’<sup>33</sup>, ibi fuit scripta lex naturae, quae est: ‘Quod tibi non vis fieri etc.’<sup>34</sup>, ‘membrum est indignans’<sup>35</sup>. Sic ‘in

<sup>15</sup> Cf. ISID. *Etym.* XV,2,17, PL 82,538

<sup>16</sup> GLO. INT., Is 26,1

<sup>17</sup> GLO. INT., Is 31,5

<sup>18</sup> Is l.c.

<sup>19</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>20</sup> Deut 32,11 (Vg. *Mut*)

<sup>21</sup> GLO. INT., Is l.c.

<sup>22</sup> Mt 23,37

<sup>23</sup> GLO. ORD., 3Reg 22,11

<sup>24</sup> GLO. INT., Is 26,2

<sup>25</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>26</sup> Is 1,5-6

<sup>27</sup> Cf. GLO. INT., ibidem

<sup>28</sup> Ier 23,15 (Vg. *add*)

<sup>29</sup> Dan 13,5

<sup>30</sup> Is 15,2

<sup>31</sup> Cf. GLO. ORD., ibidem: «Et si quid virilitatis in barba habere videbatur, rasum a viro ecclesiastico, effeminatum et debile comprobetur».

<sup>32</sup> Is 3,4

<sup>33</sup> Cf. GLO. INT., Is 1,5: «Per affectum in corde est sapientia».

<sup>34</sup> Cf. Tob 4,16: *Quod ab alio oderis fieri tibi etc.*

<sup>35</sup> Cf. GLO. ORD., Lev 3,3: «Motum siquidem irascendi medici ponunt in corde...».

veris religiosus est sapientia contemplationis, lex dilectionis, indignatio de peccatis’<sup>36</sup>. Tale cor, positum inter caput et pedes, idest clericos et laicos, dolet et plangit de utriusque infirmitate. *A planta enim pedis usque ad verticem*, “idest a minimis usque ad summos”<sup>37</sup>, a laicis usque ad clericos, ab activis usque ad contemplativos, *non est in eo*, “idest corpore”<sup>38</sup>, *sanitas*. Quomodo ergo possunt gaudere in Domino?

Sequitur: *Vulnus et livor* etc. In vulnere, luxuria; in livore, avaritia, ex qua procedit “invidia”<sup>39</sup>; in plaga tumentis designatur “superbia”<sup>40</sup>. De primis duobus dicitur in Genesi, ubi loquitur Lamech ad uxores suas: *Occidi*, inquit, *virum in vulnus meum, et adolescentulum in livore meo*<sup>41</sup>. Lamech, ‘qui primus stercus bigamiae duxit super terram’<sup>42</sup>, luxuriosum et avarum significat; qui virum, “idest rationem”<sup>43</sup>, occidit in vulnere luxuriae; et adolescentulum, idest bonae voluntatis initium, in livore avaritiae. Non tantum est avaritia pecuniae temporalis, sed etiam altitudinis, ex cuius appetitu livor edax, dissentiones, detractioes oriuntur. Altitudo transitoriae dignitatis est quasi os proiectum inter canes, qui quasi quodam livore super ipsum contendunt et ad invicem se corrodunt. Hoc idem faciunt illi, de quibus dicit Isaias: *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores nescierunt intelligentiam*<sup>44</sup>. De tumore superbiae dicitur in Iob: *Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiusmodi sermones?*<sup>45</sup>

Simile quid loquitur Dominus ad Sennacherib in Isaia: *Habitationem tuam et egressum tuum et introitum cognovi, et insaniam tuam contra me. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas*<sup>46</sup>. Dicamus ergo: Vulnus luxuriae non est circumligatum fasciis continentiae; livor avaritiae non est curatus medicamine eleemosynae; plaga tumens superbiae non est fota oleo humilitatis intimae, ex qua procedit claritas conscientiae, quae generat gaudium in Spiritu Sancto, quam qui non habent, in Domino gaudere non valent. Illi vero in Domino possunt gaudere, qui ab iniquitate redeunt in Iacob, de quibus Isaias: ‘Revertentur et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam obtinebunt, fugiet dolor et gemitus’<sup>47</sup>. *Gaudete ergo semper in Domino*.

3 - *Iterum dico, gaudete*<sup>48</sup>. Nota quod bis dicit *gaudete*, scilicet propter duplex beneficium primi et secundi adventus. Debemus gaudere, quia in primo adventu contulit nobis divitias et gloriam. *Iterum* debemus gaudere, quia in secundo daturus est nobis dierum longitudinem. Unde in Parabolis: *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria*<sup>49</sup>. In sinistra primus adventus, in quo fuerunt divitiae gloriosae, idest humilitas et paupertas, patientia et obedientia. In dextera secundus, in quo vita aeterna.

Item, de beneficio primi adventus dicit Isaias: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?*<sup>50</sup>. ‘Brachium Domini est Iesus Christus,

---

<sup>36</sup> Cf. GLO. INT., Is 1,5: «*Cor moerens: Sapientes: quia per affectum in corde est sapientia: hi quia intelligunt, et sua et aliorum peccata plangunt*».

<sup>37</sup> GLO. INT., Is 1,6

<sup>38</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>39</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>40</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>41</sup> Gen 4,23

<sup>42</sup> Cf. GLO. ORD. et INT., Gen 4,19: «*Lamech, “Contra naturam et mores adulterium committens”*».

<sup>43</sup> GLO. INT., Gen 3,6: *Arbor bona, «Per delectationes carnalis concupiscentiae ratio seducitur*».

<sup>44</sup> Is 56,11 (Vg. ... *pastores ignoraverunt*...)

<sup>45</sup> Iob 15,12-13

<sup>46</sup> Is 37,28-29 (Vg. *add*)

<sup>47</sup> Cf. Is 35,10

<sup>48</sup> Phil 4,4

<sup>49</sup> Prov 3,16

<sup>50</sup> Is 51,9-10

Dei Filius, in quo et per quem omnia fecit' <sup>51</sup>. Istud Dei Patris brachium fuit propter nos in duabus partibus fractum, cum scilicet in Passione anima, separata a carne, descendit ad liberandum eos qui erant in inferno, et caro requievit in sepulcro. Sed in die Resurrectionis consolidavit Pater brachium suum, 'et percussuram plagae eius sanavit' <sup>52</sup>. Dicit ergo: *Brachium Domini*, idest: "O Fili" <sup>53</sup>, *consurge* "de solio paternae gloriae" <sup>54</sup>, *consurge*, carnem assumendo, *induere fortitudinem* "divinitatis contra principem mundi" <sup>55</sup>, 'ut fortior fortem eicias' <sup>56</sup>. *Consurge*, "genus humanum redimendo" <sup>57</sup>, *sicut in diebus antiquis*, 'israeliticum populum a servitute aegyptiaca liberasti' <sup>58</sup>. "O Fili" <sup>59</sup>, *tu percussisti superbum*, "idest diabolium" <sup>60</sup>, ipsum de caelo expellendo; *vulnerasti draconem* in tua Passione, eidem dominium auferendo; *tu siccasti mare*, "scilicet Rubrum etc., quasi diceret: Qui haec fecisti, hoc quoque facturus es" <sup>61</sup>. Dominus mare et aquam abyssi vehementis siccavit, cum potentiam diaboli, quae in mari, et ipsius fallaciam, quae in abyso designatur, destruxit, et sic *posuit profundum maris*, idest inferni, *viam, ut transirent liberati*.

Item, de beneficio secundi adventus dicit Dominus in Isaia: *Ecce ego creo*, "scilicet ex angelis et hominibus" <sup>62</sup>, *Ierusalem* "caelestem" <sup>63</sup> *exultationem, et populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem et gaudebo in populo meo; et non audietur in ea ultra vox fletus et vox clamoris* <sup>64</sup>, quia, ut idem dicit Isaia, *auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie* <sup>65</sup>.

4 - Sequitur: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* <sup>66</sup>. 'Modestia dicta, quod modum teneat in omnibus' <sup>67</sup>. Nota quod, modestia in duobus maxime consistit, scilicet in pace mentis et honestate corporis. De quibus Isaia: *Erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum* <sup>68</sup>. Opus iustitiae, 'idest illorum qui per gratiam iam sunt iustificati' <sup>69</sup>, est pax. Fundamentum enim totius boni operis ponunt in pace mentis. Et sic cultus, idest exterior actus et habitus, est silentium. Cum homo interior quiescit in pacis domo, homo exterior sedet in quodam honestatis et securitatis silentio. Secum taliter quiescenti et habitanti, securitas erit in sempiternum.

*Dominus prope est* <sup>70</sup>. Hoc est quod dicit Pater in Isaia: *Prope feci iustitiam meam*, "idest Filium meum" <sup>71</sup>, *non elongabitur; et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem et in Ierusalem gloriam meam* <sup>72</sup>. Hoc est quod dicitur in hodierno evangelio: *Medius vestrum stetit - Dei et hominum mediator, homo Christus Iesus* <sup>73</sup>, *stetit* dimicans in campo mundi contra diabolium, quem devincens, de eius manu hominem eripuit et Deo Patri reconciliavit -, *quem vos nescitis* <sup>74</sup>. Hoc est quod dicit in

<sup>51</sup> Cf. GLO ORD., Iob 37,2: «*Et sonum de ore illius*. Per os Dei unigenitum designatur, quia sicut eius brachium dicitur, quia per eum concta Pater operatur, ita etiam os eius dicitur, per quem nobis liquitur». Cf. AUG., *Quaestiones Evangeliorum*, PL 35,1346: «*Et brachium Domini cui revelatum est (Is 53,1)? quod est utique Dominus noster Iesus Christus*».

<sup>52</sup> Cf. Is 30,26

<sup>53</sup> GLO. INT., Is 51,9

<sup>54</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>55</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>56</sup> Cf. Lc 11,22

<sup>57</sup> GLO. INT., Is l.c.

<sup>58</sup> Cf. GLO. INT., ibidem

<sup>59</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>60</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>61</sup> GLO. INT., 51,10.

<sup>62</sup> GLO. INT., Is 65,18

<sup>63</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>64</sup> Is 65,18-19

<sup>65</sup> Is 25,8

<sup>66</sup> Phil 4,5

<sup>67</sup> Cf. ISID., *Etym.* X,169, PL 82,385; Cf. GLO. ORD., Phil l.c.

<sup>68</sup> Is 32,17

<sup>69</sup> Cf. GLO. INT., ibidem

<sup>70</sup> Phil l.c.

<sup>71</sup> GLO. INT., Is 46,13

<sup>72</sup> Is l.c.

<sup>73</sup> 1Tim 2,5 (Vg. *mut*)

<sup>74</sup> Io 1,26 (Vg. *add*)

Isaia: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit*<sup>75</sup>.

Ecce quam prope est Dominus, et nos eum nescimus *Filios*, inquit, *enutrivi*, tamquam mater, sanguine meo quasi lacte; *et exaltavi* naturam humanam, quam ab ipsis accepi, et mihi univi super choros angelorum. Maiorem honoris praerogativam nobis conferre non potuit. Et *ipsi spreverunt me. Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus*<sup>76</sup>. *Vae, qui spernis*, ut dicit Isaias, *nonne et ipse sperneris?*<sup>77</sup> Unde in Parabolis: *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit matris suae partum, effodiant eum corvi de torrentibus et comedant eum filii aquilae*<sup>78</sup>. Litteralis intellectus satis ostendit poenam patrem vel matrem contemnentis. *Cognovit bos*, idest latro in cruce, *possessorem suum*, dicens: *Memento mei* etc.<sup>79</sup>, *et asinus*, idest centurio, *praesepe domini sui*, dicens: *Vere filius Dei erat iste*<sup>80</sup>; *Israel autem*, idest clerici, *me non cognoverunt, populusque meus*, idest laici, *non intellexerunt*.

5 - Sequitur: *Nihil solliciti sitis*<sup>81</sup>. Sollicitudo enim temporalium facit Deum in oblivionem venire. Unde dicit in Isaia: *Vitam manus tuae invenisti, propterea non rogasti. Pro quo, "idest divitiis custodiendis"*<sup>82</sup>, *sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata*<sup>83</sup>. Et iterum: *Dixisti: In sempiternum ero domina. Non posuisti haec super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Et nunc audi haec, delicata et habitans confidenter, quae dicis in corde tuo: Ego sum, et non est praeter me amplius, non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas et viduitas*<sup>84</sup>. In die una, scilicet mortis, *filiae Chaldeorum*<sup>85</sup>, cui ita comminatur, idest miserae animae, sensuum concupiscentiis deditae, venient ista duo, scilicet sterilitas abundantiae temporalis et viduitas concupiscentiae carnalis.

Unde comminatur Dominus in Isaia: *Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti*<sup>86</sup>. Animae a corpore separatio est quasi Domini increpatione, de qua in Genesi: *In sudore, inquit, vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es*<sup>87</sup>. In mortis ergo increpatione Dominus mare, idest amaritudinem et profunditatem abundantiae temporalis, facit desertum. Unde Isaias: *Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quae vastatur*<sup>88</sup>. Sicut, "vindemiata vinea"<sup>89</sup>, umbraculum, et, "collectis fructibus"<sup>90</sup>, tugurium, et, in captivitatem ductis civibus, civitas derelinquuntur et devastantur; sic filia Sion, 'idest anima derelicta a Deo'<sup>91</sup>, tradita diabolo, omnibus divitiis et deliciis denudabitur. Unde sequitur: *Ponam flumina*, idest delectationem quinque sensuum, *in siccum*, et tunc *pisces*, "idest curiosi"<sup>92</sup> et solliciti, *qui perambulant semitas maris*<sup>93</sup>, idest huius mundi, *computrescent* "in stercore suo"<sup>94</sup>, *sine aqua* abundantiae et concupiscentiae, in qua solebant natare, *et morientur in siti*, illa scilicet 'qua cruciabatur dives purpuratus in inferno'<sup>95</sup>.

---

<sup>75</sup> Is 1,2-3

<sup>76</sup> Lam 1,12

<sup>77</sup> Is 33,1 (Vg. add)

<sup>78</sup> Prov 30,17 (Vg. mut)

<sup>79</sup> Lc 23,42

<sup>80</sup> Mc 15,4

<sup>81</sup> Phil 4,6

<sup>82</sup> GLO. INT., Is 57,11

<sup>83</sup> Is 57,10-11

<sup>84</sup> Is 47,7-9

<sup>85</sup> Is 47,1

<sup>86</sup> Is 50,2

<sup>87</sup> Gen 3,19

<sup>88</sup> Is 1,8 (Vg. add)

<sup>89</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>90</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>91</sup> Cf. GLO. ORD., ibidem

<sup>92</sup> GLO. INT., Is 50,2

<sup>93</sup> Ps 8,9

<sup>94</sup> GLO. INT., Is l.c.

<sup>95</sup> Cf. Lc 16,24

*Nihil ergo solliciti sitis, quia de curiosis et sollicitis dicit Isaias: Moerebunt piscatores, et lugebunt omnes in flumen mittentes hamum, et expandentes rete super faciem aquarum. Et marcescent et confundentur qui operantur linum, plectentes et texentes subtilia* <sup>96</sup>. *Piscatores* sunt huius mundi amatores, solliciti et curiosi circa divitias et delicias. *In flumen mittentes hamum* sunt mercatores falsi, qui quasi esca falsae pulchritudinis cooperiunt hamum suae mentis, ut capiant eum qui emere cupit. *Expandentes rete super faciem aquarum* sunt maledicti usurarii, qui in rete usurae magnos et parvos, divites et pauperes comprehendunt. *Qui operantur linum, plectentes et texentes subtilia*, “scilicet argumenta” <sup>97</sup>, sunt legistae, decretistae et falsi advocati. Hi omnes, tam illi quam isti, in fine suae vitae, ‘cum iam non poterunt villicare’ <sup>98</sup>, *lugebunt*, quia divitiis, quas tam sollicite acquisiverunt, tam ardentem amaverunt, ita miserrime denudabuntur; *marcescent*, quia eorum animae, a corpore egressae, daemonibus tradentur aeternaliter puniendae; *confundentur* in die iudicii coram Deo et angelis eius. *Nihil ergo solliciti sitis.*

6 - Sequitur: *Sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum* <sup>99</sup>. Sicut innotescabant petitiones Ezechiae, de quo habes concordantiam in Isaia: *Convertit*, inquit, *Ezechias faciem suam ad parietem*, “templi scilicet” <sup>100</sup>, “quia ad templum ire non poterat” <sup>101</sup>, aegritudine praegravatus, *et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno* <sup>102</sup>. Ibi dicit GLOSSA: “Flevit, quia moriebatur sine filiis, et promissionem factam suis patribus timebat perituram pro peccatis suis” <sup>103</sup>.

*Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: Vade et dic Ezechiae: Haec dicit Dominus Deus David, patris tui: Audivi orationem tuam et vidi lacrimam tuam; ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam* <sup>104</sup>. *Paries*, “dictus a parilitate” <sup>105</sup>, ‘est humanitas Iesu Christi’ <sup>106</sup>, in cuius vita nulla fuit inaequalitas. De quo pariete dicit sponsa in Canticis: *En ipse stat post parietem nostrum* <sup>107</sup>; et in Isaia: *Spiritus robustorum*, “idest Iudaeorum” <sup>108</sup>, *quasi turbo impellens*, “idest insaniens non subvertens” <sup>109</sup> *parietem* <sup>110</sup>, “idest Iesum, in Passione immobilem” <sup>111</sup>. Ad hunc ergo parietem, o peccator, quia animae tuae infirmitate detineris, te ipsum converte, contritione scilicet cordis et veritate confessionis, quam debes facere cum fletu magno et finalis perseverantiae proposito. Et sic, poenitens, petitiones tuae innotescant apud Deum. Adiciet enim super dies tuae poenitentiae annos gloriae; et de manu regis Assyriorum, idest diaboli et eius ministrorum, eruet te; et civitatem, idest animam et corpus, proteget et defendet.

Unde sequitur: *Et pax Dei* - de qua Isaias: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua* <sup>112</sup>. Ibi GLOSSA: “Propheta precatur, ut Christus veniat, et resurgens a mortuis requiescat in cubili suo, in gloria scilicet paternae maiestatis, vel in Ecclesia, in qua in directione

<sup>96</sup> Is 19,8-9 (Vg. ... mittentes in flumen hamum... emarcescunt. Confundentur qui operabantur linum plectentes...; in GLO. ... mittentes hamum in flumen... Confundentur qui operantur plectentes...).

<sup>97</sup> GLO. INT., Is 19,9

<sup>98</sup> Cf. Lc 16,2

<sup>99</sup> Phil 4,6

<sup>100</sup> GLO. ORD., Is 38,2

<sup>101</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>102</sup> Is 38,2-3

<sup>103</sup> GLO. ORD., Is 38,3

<sup>104</sup> Is 38,4-6 (Vg. mut)

<sup>105</sup> Cf. ISID., *Etym.* XV,8,2, PL 82,548

<sup>106</sup> Cf. GLO. INT., Cant 2,9: «*Paries, “Indutus in pariete nostre carnis ita manet in nobis ut a nobis videre non possit”*».

<sup>107</sup> Cant 1,c

<sup>108</sup> GLO. INT., Is 23,4

<sup>109</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>110</sup> Is 1,c. (Vg. add)

<sup>111</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>112</sup> Is 57,2

ambulavit, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius”<sup>113</sup> -, *quae exsuperat omnem sensum* – angelorum scilicet et hominum. *Quis enim*, inquit Apostolus, *cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?*<sup>114</sup> - *custodiat corda vestra*, ut sit opus iustitiae pax, *et intelligentias vestras*, ut sit cultus iustitiae silentium, *in Christo Iesu*<sup>115</sup> Domino nostro.

Quem, fratres carissimi, humiliter deprecemur, quatenus det nobis canticum sanctificatae solemnitatis cantare, in seipso tantum gaudere, modeste vivere, sollicitudinem postponere, omnem petitionem nostram apud ipsum innotescere, ut, pace ipsius protecti, in pacifica caelesti Ierusalem valeamus vivere. Ipso praestante, qui est benedictus et gloriosus in aeterna saecula. Dicat omnis pacifica anima: Amen. Alleluia.

---

<sup>113</sup> Is 53,9. GLO. ORD., ibidem: PL 113,299. Cf. MARTINUS LEGIONENSIS, *Sermones*, PL 208,906: «“Propheta precatur, ut Christus veniat, et resurgens a mortuis requiescat in cubili suo, in gloria scilicet paternae maiestatis; vel in Ecclesia, in qua in directione ambulavit, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius (1Pt 2). Maluerunt in passione Christi Iudaei: ‘Non habemus regem nisi Caesarem’ (Io 19), Pilato clamare, quam Christum verum regem Dei et Virginis Filium suscipere».

<sup>114</sup> Rom 11,34

<sup>115</sup> Phil 4,7